...amus

Vitellii Jacobi: Chronologus Romanus defunctus sive Oratio in exequiis Abrahami Bzovii.

CHRYSOLOGVS ROMANVS Defunctus.

Siue

ORATIO

IN EXEQVIIS

Admodum Rndi Patris,

ABRAHAMI BZOVII,

Annalium Ecclesiæ post BARONIVM SCRIPTORIS,

ROMÆ ad Mineruam vltima Ian. A. 1637.

Vita functi.

HABITA 10. MARTII IN ÆDIBVS SAcris Sanctiss: Trinit. Crac. frequentissimo Auditorio.

A

M. IACOBO VITELLIO, Eloquentiæ Professore Tyliciano in Academia Crac. Canonico Ecclesiæ S. ANNÆ.

CRACOVIÆ, In Officina Francisci Cæsarij. 1637.



BZOVIVS hæc generis monstrat monimenta paterni;
Cui Virtus longè nobiliora dedit.

CHRYSOLOGVS
Romanus.

SVblato communi mortalitatis necessitate ABRAHAMO BZOVIO, cui supremo interea parentamus officio, PP. Adm. Reuerendi, Doctores, Professores, & quotquot adestis, Illustres & Nobiliss: Auditores: longè veriùs Roma gentium Domina, indoluisse mihi videtur, quàm olim extincto furore Antonij Arpinate, quasi animatâ eloquentia exanimata, iusto collachrymauit dolore. Nec iniuria quidem: Vnum enim forum, & Rostra Vrbis vnius dumtaxat, auream desiderarunt Arpinatis lingnam; BZOVIVM nostrum, alterum Chrysologum Romanum, Religio, Patria, Ecclesia, & Vniuersa res Christiana: tanquam disertissimum nominis & famæ suæ ad posteros propagatorem, requirunt dolenter. Et quo animo tantum dissimularent dolorem? Cùm os cælestissimum, lingua populi Christiani, subito elanguit? Cùm Angelus ille Vaticanus, vbi quod illius interfuit, ad vniuersum Or-

bem tuba personuisset Oratoria, rursum supernè ex hominibus commigrauit? Et tametsi in Vrbe communi populorum patria, diuinorum fæcundissima ingeniorum, solitudo & inopia tanta non sit, vt nè habeantur frequentissimi, qui amplissimo succedant muneri; tamen post Roscium, qui gloriosè partes suas egisset, in Orchestra subitò apparere; vnicuiq; vbi officij secum magnitudinem æstimarit, sit futurum formidolosum. Magnum enim quiddam est, rem Christianam, temporum vicissitudinem, fortunæ varietatem, tot res, tam distantes, tam inter se differentes, non solùm percensere dicendo: sed etiam comprehendere cogitando. Arduum est, & magnopere operosum, hoc in se suscipere negotium, atque illa rerum momenta gestarum, ita attollere dicendo; ita illustrare scribendo; vt non tam ex charta narrari, quàm propè recenter geri, in oculis populi Christiani videantur. Fuit ea felicitate ABRAHAMVS BZOVIVS, ita non solùm ingenij lucem, rebus Christianis laboriosè impertijt; sed vitam etiam tot operibus fructuosè impendit. Nimirum mihi videtur, vt ille corpusculo exiguus, sed opere admirandus serici velleris effector vermiculus: qui vbi plurimùm operæ produxerit, suum sibi ex se fabricat tumulum: atque ita sibi laborato moritur in nidulo. Perinde & hic disertissimus Ecclesiæ Angelus, postquam cœlesti ore, quæ ad rem Ecclesiæ faciebant, cecinisset; & iam meliore sui parte DEO

adhæ-

adhæsisset: illi quod mortale fuit, inter tot erudita volumina, memorabile ad posteritatem condidit sepulchrum:

Non poterat condi nobiliore loco.

Quamobrem cùm insigni scriptorum suorum gloria, seipsum, quasi viuis coloribus illustrasset; in laudando BZOVIO, eiusdem ipsius dicendi felicitate, & vbertate opus foret. Ego verò non mihi tantùm sumo, neque arrogo, vt quicquam ad insignem eius virtutum addam celebritatem; pietatis potius, quàm ostentationis sequor officium, qui tenui, neque satis ob angustiam temporis comparata dictione, Virtutes eius insignes vobiscum statui commemorare. Itaque dùm ex maximis eius in commune bonum promeritis, duo præcipua deligam: nimirū Quantus in religione, Quantus in Ecclesia DEI fuisset; Vos me dicentem vestra beneuolentia promouete. Atq; si quid minus dignum hoc loco, hac luce Vestræ præsentiæ, & auribus politis videatur: quatridui opus, etiam inter domestica negotia, cogitate.

Si mihi ex populari & peruulgato sensu non ex religionis autoritate agendum apud vos esset PP. Rñdi. si vnus aliquis ex foro, non flos religionis illibatus, aut si quisquam ex veteris Romuli fæce, & non Romanus Chrysologus, Vobis proponendus foret; populari iudicio, quasi Carbonaria trutina, negotiū examinarem. Quicquid enim populariter plausibile est, quicquid veluti beatum admirarur vulgus su-

pra modum; hoc totum in primo nascendi exordio, liberaliter DEVS, ABRAHAMO BZOVIO impertijt. Generis sui principium natale ad gentem refert OSTOIAM (cuius hæreditaria imago, ferrum inter obuersas lunas manubrio nudatum) matre Magdalena Węzicia natus. Sed quia ille, non tam vendibili politiæ opinione, quàm religionis dignitate commendari vult; etiam res ista non forensi sed sanctuarij pondere examinanda. Antequam autem de eius in religione conuersatione dicam, primum mihi dicendum, quibus initijs & progressionibus sit ad religionem incitatus.

Paruo admodum natu puer, matrem ex epidemia postquam amisisset: Auiæ maternæ cura (quæ ob profusam in pauperes munificentiam Eleemosynaria dicta fuit) in Oppido Vrbis Crac. proximo PROSOVIANO, educatus; diligenter vt ab Auia, sanctè vt à Matrona pientissima. *in vita ipsius.* Interea vbi cum ætate pueri maturesceret sensus, né segniùs nepotem educare Auia videretur: SOCEMIMVM oppidum PROSOVIANO attinens, interim falsa litterarum opinione peruulgatum, sed vera Heresiarcharum contagione, procurante STANISLAO SAFFRANECIO ex Gallia accersitorum, corruptum, ablegatus. Sed DEVS os illud cæleste, quod in aureum eloquentiæ flumen, cum ætate sua colliquescere, & affatim redundare debuisset: cænosis eiuscemodi lacunis noluit coinquinari. Ad fontem

tem

tem ſcientiarum purum & illimem ACADEMIAM CRAC: qnantociùs mentem aliam materteræ eius inſpirans, à peſte illa auulſum, deduci curauit. Hîc ille tanquam Generoſus ſurculus, iuxta proceras inſertus arbores, vt quamprimùm alieno adminiculo, virtutibus & ſcientijs eſfloreſceret, laborioſè & ſolicitè procurauit. Fuit cum omnium admiratione δενδρόν χαριτόφυλον, hoc eſt arbor non fructibus quibuſlibet temporarijs, & fácilè defluentibus onuſta, non foliorum ludicra tantùm luxurians amænitate, ſed gratijs omnibus vndique confertiſsima. Maturè nimis inter manus eruditiſsimorum in Academia Virorum SOCOLOVII, DOBROCIESCII, WOLBRAMI eloquentiſsimorum. ROCHI POSNANIEN. & quorumuis optimorum coaluerat Theologorum & Philoſophorum. Atque iſtius apprimè gratus inſtitutionis, luculentum in Thaumaturgo Polono, Academiæ præſtitit teſtimonium: quod ſcilicet inter homines frequenti ſolere vſurpari ſermone: *Si quem elegantioris conſpicerent literaturæ, Crac: eum veriſimile ſtuduiſſe. Nec quenquam ſolida exiſtimarent ſapientia, qui nunquam Crac. viderit Academiam.* In hoc ille inſtitutus Gymnaſio, ſingulare quiddam, inter operas habuit literarias quod incredibili rerum cæleſtium teneretur deſiderio. Pendebat ſtupefactus frequenter ex ore tonantis eloquio PATRIS SEVERINI, iſtius familiæ, cui à DEO comparabatur, Diuini Oratoris.

Cap. 13.

ratoris. Rapiebatur vehementi dictionis torrente, perorantis HYACINTHI SVSCII, FELICIS, VITI, & aliorum quorumuis, hoc in loco sacro disertissimorum hominum: quorum lingua, cùm cœtum populi numerosum quolibet, nunc ad lachrymas, nunc ad suspiria, impelleret potenter; BZOVII iuuenis interea cor, pietate in DEVM liquescebat, compunctione scindebatur, humanarum tædio vanitatum, mirificè tabescebat. Vt multa conferam in pauca; dum status commutandi secum iniret consilia, in ancipitem properè incidit morbum, qui nulla ope humana releuari posse videbatur. Præstolabatur interim supremum & decretorium vitæ suæ diem, cùm ita iuueni iam deplorato, & deposito, S. HYACINTHVS apparet: manum porrigit auxiliarem: fugat morbum, quid & qualem fieri oporteat admonet. Ille verò cælesti beneficentia recreatus, ex longa & periculosa morbi iactatione, quasi graui tempestate, Diui tutelaris ope seruatus; adit Patres istius loci, in numerum familiæ religiosæ censeri, instanter, solicitè petit, & impetrat. Quæ enim alia referendæ cælestis gratiæ ostendebatur ratio? quàm vt conseruatorem suum, quasi alterum vitæ conditorem, non solùm perpetuâ recordatione coleret, & humili prece ampliùs ambiret; sed etiam corporis cultu & habitu, aut consimilis vitæ, & disciplinæ studio veneraretur? Equidem ita mihi Diuina prouidentia cum eo videtur egisse, quemadmodum cum Saule egit

aliquan-

aliquando, qui asinas Patris quærens, regnum inuenit, plusque lucri fecit in ea re, quæ illi secundæ curæ videbatur, quàm in ea cui prior impensus esset. Non aliter ille de quo nobis sermo, primitias gloriæ ex literis aucupans, ad primitias agni cælestis vocatus. Imperatum illi spirituali inspiratione, vt Asinas, hoc est animas peccatrices, ministerio prædicationis quæsitum iret. Hîc ego quid prędicem, quãtùm nuperrimus in religione tyro, arsit cultu Diuino, quanta obedientia, quanta animi submissione, alios antecelleret; aut quantam DEVS electo filio suo gratiam internæ consolationis affunderet: cùm affatim largiretur cælestia charismata, quæ suauitate excedunt, omnia vana, & insipida mundi deliramenta, non oblectamenta. Quæ talia & tanta sunt, vt ea dignus delibare sit nemo, qui non prius vana, & vilia, mundanorum longè benè post habeat crepundia. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Fuit in hac familia sanctissima ABRAHAMVS BZOVIVS viua virtutis lex, ad quam se cæteri conformarent: typus veri & sancti religiosi: fuit religiosus, non professione tantùm, sed etiam conuersione: non paupere duntaxat habitu, sed etiam optimo in DEVM affectu. Et cùm sciret plus pensari fines, quàm officia; non alium sibi finem arctæ & laboriosæ proposuit religionis, quàm DEVM ipsum. Hinc tanto bono maturiùs promerendo, frequentes inediæ, noctes

1. Reg. cap. 9.

in ora-

in oratione euigilatæ, acres corporis verberationes, carnis edomandæ macerationes, adhibitæ. Intellexit nimirùm optimè cum Diuo Nazianzeno: quod carnes crassas, tumidum ventrem ac prominentem, angusta religionis porta capere nequit. Idcircò idem ipse bonorum omnium effector DEVS, qui ABRAHAMVM BZOVIVM verbo veritatis, id est prædicatione, & doctrina cælesti genuisset: maturissimè populo Diuinum instruebat prędicatorem. Namque in Diaconatu adhuc, cum fortassis rerum Diuinarum insciens tyro, alijs videri potuisset; veteranis qui iam multa stipendia in castris DEI meruissent: par fuit. Etenim sub illud tempus. BARTHOLOMÆVM Præmyslień. illius sæculi Christianum Demosthenem, faciendis Concionibus sacris, suada cælesti plenus, iuuit gloriosè. Tanta existimatione, tàm faustis progressionibus, cùm inclaruisset BZOVIVS, in Italiam missus, vt etiam ab exterorum ingenijs suum poliret limatius; vel hominibus illis eximia scrupulum eximeret industria, etiam sub hoc cælo nostro, non rudere Arcadiæ pecuaria. Septemtrionales tametsi fortassis non ita perspicaces, vt illi quos benigniùs afflauit cælum, non omnino tamen obtusos, & hebetes. Præsertim cùm & in illis Lycæis, inter augustissima eruditionis lumina, Anacharsim fortassis reperias non neminem.

Itaque MEDIOLANI constitit BZOVIVS.

vbi

vbi cùm Theologico incumbit ſtudio, etiam Philoſophiam alijs prælegit. BONONIÆ ſummam Diui Thomæ laudabiliter ad profectum explanauit: atque in Primam & TERTIAM, eius ſummæ partes, nouo more, raro hactenus exemplo, vnus non ex multis, non ad normam vulgarium quorumuis, commentarios elucubrauit.

Erecti exterorum animi, ob eximium hominis ingenioſi acumen, eum ſibi ambitioſè depoſcere, Polonum negare, tàm horrendo & extremè vt putant damnato in ſolo, eam ingenij fæcunditatem, induſtriæ ſagacitatem, potuiſſe exoriri, non veriſimile arbitrantur. Sed cùm ventoſa hominum illorum ad ſe retinendum palpatione, ſe non poſſe deliniri palàm ſignificaret; nè rumuſculis illis paſci magnum quid exiſtimarent: redijt in patriam, fama aduentum ſuum, celebri anteuertente. POZNANIAM Maioris Poloniæ Principem Vrbem, maiorum arbitrio Virtus eius vbi ſe exprimeret nacta. Sed enim ipſe intra nonum Menſem, conſpectiori propoſitus in theatro, Crac. euocatus, in hac luce Vrbis, & frequentia non quantiuis hominum pretij, laborioſum Concionatoris laudabiliter ſuſtinuit officium. Non dico quid interea religio ornamenti, quid Vrbs conſolationis, quid populus acciperet emolumenti: cùm Diuinæ voluntati omnibus annunciandæ, fidele præſtaret obſequium: cùm legatione fungeretur pro Chriſto: cùm non ſua ſed DEI ad confertiſſi-

mum cætum loqueretur verba: cum ab eius ore ſuccos nectaris cæleſtis, populus affatim delibaret. Ille fulminabat, tonabat; & DEVS voci eius efficacem imprimebat virtutem, ita, vt acres etiam veri aculeos doloris, in animis hominum infigeret dicendo. Ne verò vlla pars eius vitæ, religioſo & pio in DEVM vacaret officio, vt populum attentiori Sacratiſſ: Virginis obſtringeret, atq; addiceret cultui: FRATERNITATEM Sacratiſſ: ROMA procurauit Roſarij: etiam imaginem B. M. V. Romano artificio affabrè factam & politè, cum benedictione CLEMENTIS Octaui, in Capella Fraternit: quæ nunc viſitur, collocauit. Quo pacto nō ſolùm in Vrbe Regni Principe, ſed etiam toto Regno, ita popularium in Sanctiſſ: Virginem Deiparam accendit ſtudia, vt iam nullus ſit ita irreligioſus locus, ita ab hominum abditus cætu, in quo non floreat, pietas iſta, hominum frequē tiſsima celebritate, ſub titulo Sacratiſſ: Roſarij Deo & B. V. M. militantium. Atq; iſtius in Sanctiſſ: Matrem pietatis, quàm liberale, & admirandum Romæ acceperit prœmium, quæſo attendite. Sumi Paſtoris PAVLI. V. Pont. Max: beneficentia, in Vaticano, domicilio ſibi ad Bibliothecam deſignato, ſolus, duobus victus quotidiani adminiſtris præſentibus, viuebat. Factum eſt interea, vt ſicarij, qui omnes pecuniarum odorarentur vias, ad res eius (quas ex dignitate, & merito hominis, lautas non modicè ſuſpicarentur) oculos adijcerent cupiditatis. Agitatum, de-

Fraternitas SS. Roſarij.

liberatum

liberatum, etiam eius ipſius cæde, ad prædam conſequendam graſſari. Tempus facinori parricidali prſtitutum, ferrum cruenti laniſtæ, quos rapinæ cupiditas incendebat comparant: animos ad vim, ad ſcelus acuunt. Antequã verò adeſſent, eodem ipſo die, atq; eodem propè momento, BZOVIVS, maturiùs ſolitò ad operandum ſacris egreditur, vno qui domum ſeruaret cuſtode relicto. Interea cruenti aduolant parricidæ, dant ſignum ianuæ aperiendæ: cuius vbi ægrè peſſulum qui intra reſtitit, amouet; ferrum in pectus accipit, cruentatur, cæditur, domus compilatur: diffugiunt, ſcelere quàm lucro cumulatiores ſicarij. Quid enim pecuniarum conſtrueret aceruos ille, aut quid magnopere lucri facerent apud eũ. qui non rei nummariæ ad inuidiam faciendæ; quàm literariæ ad gloriam propagandæ, totus natus & impenſus erat. Quid poſtea? expediam paucis. Poſteaquàm ritè ſacrificio litatum eſt, domum regreditur BZOVIVS, cuſtodem de aduentu ſuo, ianuæ appulſu commonefacit; nihil reſpondetur. Iterum atq; iterũ inſtat: nè ſic quidem. Homo non parùm occupatus, qui momentum etiam quodlibet expenſum & numeratum haberet: non modicè Cuſtodis ſui ſuccenſet ſupinitati. Iteratò appetit ianuam: verùm irritis & ſtudio & conatu. Cùm verò homini perſpicaci, hæc mora & domeſticũ ſilentium, non ſine metu, & ſuſpicione fuiſſent: aliorſum domus patefacta. Quæritur, inclamatur domeſticus ille miniſter, & cùm omes excutiun-

 cutiun-

uſcęanguli, cutiunturs tandem reperitur, nullo ſceleratorum veſtigio remanente. Cuius patrociniũ putatis fuiſſe, vt ille, quem ad cædem deſignarent, ad hauriendumq; innocentem ſanguinem, nefariè inſtructi adeſſent; eorum conſceleratas machinationes, vim, & arma, cæleſti declinaret prouidentia? Non cuiuſpiam alterius profectò, quàm ſacratiſſ: Virginis & Matris D E I, quæ cultori ſuo, inſignem protectione cæleſti rependit pietatem. Ita fructum anteactæ vitæ cæpit ampliſsimum : præſentis periculi prohibitione. Quantus autem Sanctorum veneratione apud omnes propaganda fuiſſet, quid attinet dicere? Ille ipſe memoriam S. HYACINTHI in faſtos Eccleſiæ (Breuiarium & Miſſale vocant) à Sanctiſſ: & Supremo Eccleſiæ Paſtore VRBANO VIII. admitti & referri procurauit. Cõſimili ſtudio & affectu, reliquias B. CESLAI ODROWąZII, ab iniuria Hæreticorum vindicauit, & honoratiore in loco recõdi fecit. Quid, quod Monaſteria per Sileſiam, diuturna injuria auulſa & diſtracta, rurſum Prouinciæ Polonæ, & huic loco ſacro recuperauit, & addixit. Quod principia, incrementa, & progreſsiones Ordinis ſui, ab vſq; primo capite S. DOMINICO, laborioſè conſarcinauit? An exigua hæc ſunt, in Religionem ſanctam promerita? equidem maxima, & inuſitata. Vt mihi vnus iſte diuin⁹ homo, præter alios ſanctitate & multiplici doctrina, in hoc Ordine florẽtiſsimos, cælitùs videatur datus : qui, ea quæ alij ſanctiſsimè facerent : politiſsimè

ſnè, orbi memoranda, literis cõſignaret. Proinde vnꝰ omne tulit gloriæ punctum, cùm & ſcriberet legenda, & faceret ſcribenda.

Magna hæc ſunt ABRAHAMI BZOVII in Religionem ſanctã, quæ eum cælo educaſſet, officia, magna profectò: ſed in Eccleſiã longè benè maiora; quorum ſplendor ita in oculis orbis vniuerſi effulſit, vt res ea cuiuſquam tenui argumẽto, non poſsit eſſe teſtatior: quàm ipſius operibus eſt patefacta, & illuſtrata. Nam quid omnino Eccleſia ſine doctiſsimo fuiſſet Baronio? qui ex abditiſsimis vetuſtæ obliuionis tenebris, res eius ſanctiſsimè geſtas eruens, in lucem & oculos hominum protulit? Quid verò BARONIVS fuiſſet: niſi BZOVIVS inchoatam eiꝰ gloriã, ad ſummum produxiſſet? Itaq; quod alter laudabiliter fecit, alter perfecit gloriosè: BARONIVS operi laborioſo, ſplendidum extruxit propylæum: BZOVIVS illuſtre impoſuit faſtigiũ. Atq; ita impoſuit, vt mihi videatur alter in alterum, & ſenſu, & ſpiritu, & colore, & habitu orationis, non ſine Diuino coaluiſſe artificio. Porrò tàm arduo muneri SS. PAVLI V. Pont: Max. ante alios tres, deſignatꝰ voluntate. Quaſi & illa Supremi Paſtoris autoritas, non ſine cæleſti afflatu, vnũ id temporis idoneum exiſtimaret BZOVIVM, prætereà neminem: cuius fidei & ſapientiæ, rerum Eccleſiæ, ad poſteritatẽ literis proroganda memoria crederetur. Hîc ſecum cogitare BZOVIVS, quantum adiret laborẽ, quæ futura eſſet omniũ de eo exiſtimatio

popu-

populorum; quis de inchoando sensus opere: ideò quantùm sum̃a officij amplitudo: & autoritas supremi capitis sanctissima, hominem inuitabat, tantùm operis difficultas reuocabat. Occurrebat scilicet in animo frequenter, nè rerum magnitudinẽ tantarum, aut culpâ atterreret ingenij, aut temporum varietatẽ, insolita proderet inexperientia. Sed enim malebat ab se officium, in primo negotij aditu aliquomodo requiri; quàm laborem, quàm fidem, quàm submissionem desiderari. Suscepit honorariam, sed operosam Prouinciã: non tàm quid iuberetur, sed quis iuberet, spectauit; quicquid Sum̃o videretur Pastori: Deo idipsum videri arbitratꝰ. Aggressus negotium, atq; totũ se, per quingentos ampliùs rebus Ecclesiasticis inuestigandis ita impendit annos, ita omnes in eam rem incitauit sensus, vt ingentem illam, tantæ reuolutionis feliciter decurreret Iliadem. Quantæ fuit existimatis in primo operis ingressu anxietatis, tot res, tàm varias, tàm reconditas, tàm distractas, & diuturna insepultas vetustate; cogitatione cõprehendere, memoria sepire, industria ordinare, cultu Oratorio vestire, serie continuationis vincire, ex reconditissimis annosæ vetustatis eruere latebris; Hæc omnia ita BZOVIVS, accuratè, fideliter, ordinatè, perspicuè, politè exegit: vt in eius operibꝰ ars, studium, labor, cum grandi certet mirificè materia.

Plin. l. 7. cap. 21.

Fama est, non neminem ita fuisse aliquando acri oculorum intuitu, vt à Lilybæo Siciliæ Promonto-

rio

rio longiſsimo locorum interuallo centum triginta quinq; millibus paſſuum, Africam vſq; viſu attingeret, atq; naues in mari illo veluti ſub oculis eſſent, diſtinctè, nominatim, recenſeret, numeraret. Eſto verũ vt lubet: cùm hæc res parùm vtilitatis habuit, ita modicùm admirationis. Cùm verò illuſtriores ſunt ingenij, quam ſenſuum operationes, admiranda magis hæc BZOVII induſtria: eum tantum interuallum obliuioſæ vetuſtatis, animo potuiſſe conſequi, mente perluſtrare: & quæ ſepoſita eſſent temporibꝰ, locis, actionibus, perſonis, in vnum Hiſtoriæ faſcem, tenaciſsimo vincire nexu. Nimirùm res iſta non humani ſed Diuini cuiuſdam fuit præſidij: cùm tantùm reliquiſſet operum: vt illis vita non ſufficiat legendis. Diuus IOANNES ille diuinorum ſecretorum feliciſſimus admirator, inter illa cælo præſentante ſibi ſpectacula memoranda: vidit hominem qui metiretur Ciuitatem ſanctam, & portas eius, & murum calamo aureo arundineo. Per arundinem ſonum prædicationis, vel Scripturam, eius loci non paucorum intelligit comentatio: ſed auream, propter fulgorem Diuinæ cognitionis. Iſte mihi, ſub imaginis cæleſtis integumento Scriptor, longa ſæculorum reuolutione videtur ſignificari, qui Ciuitatem S. Eccleſiæ, aureo dimenſus eſt calamo. Quid enim non aureum in BZOVIO? aureum os, lingua aurea, manus aurea, calamꝰ aureus: totus aurum, quia totus non quantælibet æſtimationis. Quod verò non ſolùm auro, ſed gem̃is

Apocal. 23.

etiam pulcherrimè colluceat: GEMMEVM illud MARIALE non æstimandi pretij facilè indicat. Hic itaq; homo DEI, calamo aureo mensus est Ciuitatem sanctam: cùm ad instruendum populum Dei, tanta edidit rerum Ecclesiasticarũ opera; mensus est portas, dum de Pontificum SS. Maiestate, & sanctitate doceret: mensus est secundum aliquid & murum, id est Christum qui Ecclesiam ambit, dùm pro fide eius, scriptis, dictis, propaganda: atq; Hæresibus extirpãdis solicitè laboraret. Sunt qui mensuram, digitorum filiam existiment: quia cùm mensura à minimis oriri debeat, digiti sunt omnium minimi in corpore humano membrorum. Quorum autem existimemus digitorum mensurã, filiam, qua mensus est BZOVI, homo DEI Ciuitatem sanctam? Primùm Spiritus S. qui digitus DEI dicitur: atq; illius ipsius scriptoris diserti; cùm Spiritus Sanctus eius digito, ad res Ecclesiæ dimetiendas, tanquam aureo vsus esset instrumẽto. Horum itaq; digitorum, hæc mensura est filia, ab his profecta principijs, tàm altum, tàm profundum, tàm latè patens, regulâ cælesti, Ecclesiæ definiuit, & descripsit ædificium.

Enimuerò alterius etiam cuiuspiam meminit sacer textus calami. *Et datus est mihi calamus similis virgæ,* Apocal. 11. *& dictum est mihi, Surge, & metire templum DEI.* Vterq; iste fuit in manu BZOVII calamus. Hic similis virgæ, mensuram laborũ, ille aureus mensuram gloriæ, quam omnium consensu adijt denotat. Calamus

quia

quia ſonat, virgæ ſimilis quia rectitudinem, & verita-
tem ſcripti ſeruat. Aureus prœmium, virgæ ſimilis non paruam exprimit afflictionem. Cùm aureum calamum *Bzouius* Summi Paſtoris voluntate meruiſſet: quid non ab hoc virgæ calamo ſuſtinuit? quantùm ab exſurgente gloria, inuidiæ in ſe concitauit? Ille verò quantò acriores contra ſe adornarentur ſtimuli; tantò magis operi ſuo fuit intentior; nec aliter inuidos, quàm gloriæ ſeruiendo, fas vlciſci exiſtimauit. Nouerat ſcilicet optimè, ſcriptores duo potiſsimùm propoſita ſpectare debere: vt nè quid falſi dicere audeant: & nè quid veri non audeant. Proinde ſacratarum Hiſtoriæ vinculis legum adſtrictus: veritatis potiorem, quàm inimicitiarum, duxit rationem.
συγγραφεὺς ἔςω ἄφοβος ἀδέκαστος ἐλεύθερος, παῤῥησίας ϗ ἀληθείας φίλος *Lucianus de Hiſtoria.*
hoc eſt: Scriptor eſto intrepidꝰ, incorruptus, ingenuꝰ, libertatis, & veritatis amicꝰ: atq; eiuſmodi, qui (vt inquit Comicus) ficus, ficus: & ligonem ſimpliciter appellet ligonem: non odio, non amicitiæ quicquam tribuat, non parcat, non miſereſcat, non erubeſcat. Sed quamobrem quis virtutem & eruditionem altiſſimam *Bzouij* ſine æmulo eſſe vellet? cùm nemo fuit, qui vbi cæteris antecelleret, vt nè ſuorum etiam ſuſtineret iudicia iniquiora? præſertim cùm tantùm quiſq; detractum ſibi exiſtimat iniquè, quantùm alteri ex virtute operoſa, accedit ad gloriam. Vnus apud Romanos Hortenſius, abſq; ſibillo ad ſummam dicitur perueniſſe ætatem: in alios omnes, crimen &

inuidia malitiosè conquiſita; eos præcipuè, qui ſuas curas & vigilias in publica defigerent vtilitate. Alit enim liuorem infelix inertia, & omnes deſtrui cupiunt: quia ſe pari paſſu prouehere non potuerunt. Sed in ea re non quærit cuiusquam *Bzouius* patrocinium; cuius virtus immortalis nullam mordacis inuidiæ impetitionem extimeſcit. Qui poſteaquam diem ſibi vltimam appetere ſentiret, & ſe in horas languere, ac debilitari: non aliud votum eius fuit, quàm quod Apoſtoli, exire de ſæculo, & recipi ad Dominum, hæc eius voluptas, hoc deſiderium fuit perenne.

Audiſtis PP. Adm. R̄ndi. quid Religioni, quid Eccleſiæ,& quàm laudabiliter *Bzouius* præſtitiſſet: religioni quidem exemplum ad vitæ ſanctimoniam conſectandam, & cultus Diuini propagationem; Eccleſiæ fidelitatem ſcripti, & aſsiduitatem ſcriptionis. Nunc poſt inſignes XII. Annalium Eccleſiæ Tomos orbi Chriſtiano laboriosè concinnatos, atq; euulgatos,commentariorum in primam & Tertiam partem. Tomos 2. Sermonum variorum opuſcula plurima, cultu oratorio elaborata; vbi fidelitatem & officium Sanctiſsimis tribus Pontificibus PAVLO. V. Greg. XV. VRBANO. VIII. amplius XX. annis,in palatio Vaticano cum DEO & Muſis ad Bibliothecam Vaticanam agens, probaſſet; diurnis nocturniſque pro Eccleſia DEI conſumptus laboribus, ſomnum obdormiuit ſupremum. Etenim mors hominibus in

publicam

publicam natis vtilitatem ſomnus quidam eſt. Nec promiſcuus aliquis ſomnus, ſed ille νήδυμος: λύων μελεδήματα θυμοῦ, νήδυμος ἀμφιχυθείς. Soluēs animi curas, dulcis, cirmumfuſus, quem Deorū fingit Homer. Iliad. Ψ inuſitatæ, & dulciſsimæ ſuauitatis, dotem ſupremæ felicitatis antiqui putauerunt. Verùm in hoc dolore, quo parentamus diſertiſsimo *Bzouio*, neſcio quomodo rurſum recrudeſcit alius, cùm meminimus, quantam paucis annis huic loco florentiſsimo pertinax fatum intuliſſet orbitatem. Suſtulit *Fabianum*, *Piekarſcium*, *Rádáwieccium*. eloquentiſsimos & feliciſsimos Oratores, *Chryſoſtomum*, *Moſcicenſem*, omni genere eruditionis inſignes. *Eraſmum* cultus Diuini propagatorem, atq; iſtius templi exornandi, æditimum & curatorem diligentiſsimum. Illi debet locus hic ſacer ex ſitu vindicatus, tàm auguſtum ſplendorem & Maieſtatem. Illi cœnobium, cùm amplitudinem venuſtam, tum Bibliothecam loco ſalubri, & aſpectabili ædificatam. Quid dicam de *Valeriano*, qui Theologicè & Mathematicè, eximius fuit cæli ſpeculator: alter æui noſtri *Archimedes*: æneorum peritiſsimus artifex inſtrumentorum: qui in obeundo Prouincialis munere, dum rebus communibus inſtaurandis & firmandis ſolicitus eſt; VILNÆ vita conceſsit. Infinitùm eſſet alios percenſere, quorum autoritate, eloquentia, vitæ ſanctimonia, locus hic quaſi ſtellatū cælum Atlantibus ſuſtineri credebatur. Sed tamen cùm reuocari damnum nequit, releuari dolor poteſt,

cùm florentiſsimum hunc cætum quis intuetur, quaſi in horto amænisſimo, alias ſeneſcentes, alias in ſpę ſuccreſcentes plantas. Verùm hæc non iſtius temporis, nec loci ſunt, memoriam duntaxat diſertiſsimi proſequor *Bzouij*.

Ad vos Religioſiſsimi PP. mea ſpectat Oratio. Veſter ille autoritate Pater, affectu filius, caritate Frater, extremùm vos ſalutat amicè. Pater veſter, quos patrio ſemper proſecutus affectu: quibus etiam hinc abiens, Romæ ad Mineruã, de ſuo proſpectum eſſe uoluit demenſo: vt ſtudiorum cauſa Romam abeuntes, alimonia eſſent commodiori. Sed neq; iſtud eſt modicum amoris in vos indicium, quòd argento fuſas quatuor Apoſtolorũ ſtatuas affabrè factas, quaſi obſides animi ſui vobis mãcipati, huic loco ſacro exornando miſit; idque ſpeciali ſanctiſsimi *Vrbani VIII.* indulto, né quid eſſet quod religioſæ ſponſioni derogaret. Filius veſter, quibus debet, in hoc loco ſancto, alterius poſt Baptiſmum regenerationis beneficium. Frater veſter, quos non ſolùm religioni debitâ, ſed naturali propè proſecutus caritate, cui res veſtræ, & incremẽta felicia, incredibilem in modum cordi fuerunt.

Adeſte Academici mei, iterum dico, adeſte: & cùm adeſtis corporibus, animis etiam adeſte, & mecum cõmunem miſereſcite caſum: Frater noſter mortuus eſt, amicus noſter mortuus eſt. Quando enim ille nos benignè non proſecutus? quem noſtrum vbi Romam comparuit, non amicè & affabiliter accepit? quàm

quàm in tempore, & loco sciuit nobis prodesse? quã-tùm consilio, opera, fide, res nostra, iuuit. Iste mortuus est, cedidit corona Capitis nostri. Verùmtamen, si quod morti obnoxium erat, dissolutum est: potiore sui parte viuit, & viuet: iucunda eius in Ecclesia DEI meritorum memoria, non his quib9 mortalis vita, circumscribetur regionibus. Viuet ille, & quàm diu Musarum florescet gloria; tam diu nomen eius & fama propagabitur immortalis. Nulla eum eximet sermonibus eruditorum vetustas. Cùm Iosias optimus in populo Domini REX fatum suum obijsset: tàm inclytum REGEM, diutissimè populus desiderauit, & luxit; tamen iucunda factorum eius recreabatur memoriâ. *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarij*. Non aliter cùm *Abrahamus Bzouius*, qui familiam inter Scriptores duceret, & quasi Regnum occuparet literarium: cùm inquam labore suo perfunctus gloriosè: fama eius in compositione odoris facta, quam ipse literis suis, quasi opere pigmentario, suauissimè condiuisset. Et quẽadmodum loca illa, vbi res odoratæ fuerint positæ aliquando: etiam si transferantur, diutissimè retinent odorem; ita & Crac. Academia vbi aliquando *Bzouius* profecisset felicissimè: & locus hic sanctissimus vbi vixit religiosissimè: & Vrbs hæc, vbi ad populum legem DEI loquebatur ardentissimè, & Roma vbi scripsit disertissimè: insuper Vniuersus orbis vbi claruit pulcherrimè, fragrantissimum *Bzouij* conseruabunt

Eccle. 49.

bunt

Eccle. 49. bunt odorem. *In omni ore quaſi mel indulcorabitur eius memoria.*

Sed mihi ſub extremum Orationis decurſum venit in mentem *Fabiani* eloquentiſsimi, vita nuperrimè functi. Idcircò de vtroq; *Bzouio & Fabiano*, hoc affirmare poſſum, quod aliquando de Gregorio Niſſeno, & Baſili o Magno, Nazianzenus, quaſi de Moyſe & Aaron dilectiſsimis Domini ſanctè cenſuit. Ambo Ægyptum vexantes, ambo mare procelloſum ſcindentes, Iſraelem regentes, in oculis populi miracula patrantes. Non aliter genuini fratres iſti, ambo mundum quaſi Ægyptum vexantes: Ambo Iſraelem verbo & exemplo regentes: Ambo tumentes mundi & carnis fluctus virga diſciplinæ coërcentes. Sed quia *Fabiani* meritis, ſatis datum eſt, etiam fraterna pietate, & perpetua recordatione dandum; nos cùm orbati ſumus eloquentiſsimo ſcriptore *Abrahamo Bzouio*; à nobis abeuntem, Chriſtianitati ſolennibus proſequamur votis.

Requiem æternam dona ei Domine, &c.